



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput V. Quæritur an lex naturalis possit immutari, habeatque in ipsa
locum Επίσινα.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

ſi promiſſum facit, confidas: ſi ſpiritum dilectionis ſubminiſtrat, caſte diligas; & ſi dederit eligendi optionem, id quod lubet haud immemor acceptæ libertatis perficias: quod denique ſponte iuraveris, ſtudeas reddere. Atque hæc ad legem naturalem ſpectare tam certum eſt, quam ſummum illud bonum diligendum eſſe ſuper omnia: nam niſi credideris, errorem tuum præfers veritati, & niſi impleveris iuramenta, ſummam maieſtatem graviffima afficis injuria. Quatenus autem eligis vivere juxta conſilia Evangelica; duceriſ non communi univerſorum hominum ſenſu, ſed proprio & ſingulari: quippe animadvertens tui, rerumque tuarum circumſtantias, arbitraris melius tibi fore, ut

ſummum illud bonum aſſequaris, negotiis ſecularibus nuncium mittere: cum aliis videatur utilius uxorem ducere, familiam alere, & nubere potius, quam uri. Ergo conſilia Evangelica ſunt hoc pacto optionis tuæ ac poteſtatis, non præſcriptionis rationisque communis. Atque ideo conſilia dicta ſunt, quod non ſingulos adſtringant, ſed propoſita ſint quid magis expediat conſultantibus. Fides denique, Spes, & Charitas ſupernaturales dicuntur, in quantum poſtulant Divinæ gratiæ adiutorium, ordinemque naturæ ſupergrediuntur, ſive conſiderata naturali arbitrii poteſtate, ſive ſubſtantia & magnitudine rerum non apparentium.

C A P U T V.

Quæritur an lex naturalis poſſit immutari, habeatque in ipſa locum *Επιχειρημα*.

S U M M A R I U M.

1. Immutatio legis fit abrogatione, ſubtractione, & diſpenſatione.
2. Notandum circa diſpenſationem.
3. Propoſitio 1. probatur.
4. Propoſitio 2. probatur.
5. & 6. Oppoſitiones ſolvuntur.

7. Propoſitio 3^{ia} probatur.
8. Uſque 16. Solvuntur obſectiones.
16. Explanatio præcepti de Sacrificando Sabbatho.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur obſectiones.
21. Quid *Επιχειρημα*.

1. Immutatio legis fit abrogatione, ſubtractione, & diſpenſatione.

TRIBUS modis contingit legem aliquam immutari, abrogatione, ſubtractione, atque diſpenſatione. Abrogatio eſt legis, quoad præcepta & vim obligandi diſſolutio: ſubtractio eſt præceptorum legis immutatio quædam, & coarctatio: diſpenſatio denique eſt à lege, quæ integra permanet, aliquorum exemptio. His accedit *Επιχειρημα*, quæ juxta ſignificationem Græci vocabuli ſignificat *aquitatem*: ſed recepta ſermonis conſuetudine, nihil eſt aliud, quam legis interpretatio, aut declaratio. Preſſe etiam ac ſtricte accipitur *Επιχειρημα* pro tali declaratione, qua judicium fertur, legem pro omnibus latam, aut quæ poſſet pro legiſlatoris lubitu omnes obſtringere, in peculiari aliquo caſu deficere, ut quando interpretamur ad quosdam ægrotos præceptum non pertinere jejunii.

2. Notandum circa diſpenſationem

Circa autem diſpenſationem obſervandum eſt, propriam tunc eſſe, cum materia legis, ſive id, circa quod lex verſatur, idem perſeverat; ita ut lex deſinet obligare eò duntaxat, quod ſit in poteſtate legiſlatoris auferre vim obligandi. Atque hoc pacto diſpenſari dicitur Religioſus à Choro, civis à ſolven-

dis vectigalibus, gregarius miles ab agendis excubiis, cum peculiari Superioris, Principis, & Imperatoris beneficio à communi, qua tenerentur, lege ſervanda excipiuntur. Interdum tamen contingit, ut in his actibus, qui jure naturæ conſtituuntur, quædam diſpenſationis ac mutationis imago fallat incautos, quando ſcilicet, non ipſius legis præſcripta immutantur, ſed ipſa res, circa quam jus naturæ verſatur, recipit mutationem. Sit in exemplo: ſi Deus quemdam occidi præcipiat, aut rem alienam auferri, non ideo licitum fit homicidium & furtum, nec diſpenſatur in lege, *Non occides, non furaberis*; ſed auferitur horum præceptorum materies, ſive actus prohibitus his præceptis, non enim homicidii aut furti ſcelus eſt, quod perficitur auctoritate ac præſcripto Domini vitæ, & rerum omnium ſupremi. Similiter dum creditor in acceptum refert, non tenetur debitor ſolvere, non quod jus ſolvendi debitum diſpenſetur, ſed quoniam deſiit pecunia, quæ debebatur, deberi. Atque hæc diſpenſatio orta ex circumſtantiis & mutatione rerum, improprie, & ſermonis analogiâ, ut liquet, dicitur diſpenſatio. De hac vero diſpenſationis imagine, arbitror

B 3

loqui

loqui nonnullos Jurisperitos, qui docent non tantum Deum, verum etiam Papam dispensare contra Jus naturale, ut habet Glossa 2. p. Decreti cap. x. q. 7. cap. *Auctoritatem*. Quare horum placita minime præsidio sunt opinioni Scottistarum affirmantium dispensari à Deo in præceptis secundæ Tabulæ. Ut enim scribit, consentientibus cæteris, Barbosa lib. 1. Juris Eccl. Univ. cap. 2. num. 122. *Jus quidem naturale immutabile est, ut habetur §. Sed naturalia, & prima hujus juris præcepta firmissima semper manent, sed in particulari recipiunt mutationem ob rerum circumstantias, quo in casu potest Pontifex dispensare.* Jurisperiti ergo loquuntur de dispensatione improprie dicta, quam supra delineavi: & frustra illorum nonnulli Scholasticorum scita verborum abusione confodiant.

3. PROPOSITIO I. Lex naturæ per
Propositio I. abrogationem, aut subtractionem mutari non potest.

Probat. Demonstratur prior pars. Lex enim

æterna, Auctore Augustino lib. 1. de lib. Arb. cap. 6. variari omnino non potest; lex autem naturalis nihil est aliud, quam legis æternæ in humana mente transcriptio. Est ergo per legem naturalem nobis inscripta actuum humanorum ratio & regula invariabilis. Deinde nequit lex naturæ à rationalium creaturarum mente deleri. Sunt namque rationales creaturæ mente, & diligendi facultate essentialiter præditæ. At lex naturæ ab ipsa ratione indistincta est: unde Augustinus Conc. 25. in Ps. 115. ait: *Sine lege naturali essent, si præter naturam generis humani esse potuissent.* Igitur ut ratio, ita lex naturæ nequit abrogari. Præterea naturalis appellatur lex ista, quod ab ipsa natura, rerumque substantia non discrepet. Rursus, nefas est rectæ rationi in moribus repugnare. Si autem abrogaretur lex naturalis, fas esset agere adversus rectam rationem, quoniam recta ratio, & lex naturalis eadem res est. Igitur lex naturalis scindi, atque dissolvi non potest. Atque ex his etiam probatur propositionis pars altera. Enimvero si præcepta naturalis legis variantur ac minuantur, necesse est ordinem naturalem rerum, quæ his præceptis diriguntur, pariter immutari. Quod pugnat apertissime cum lege æterna, ut liquet ex præclara sententia Augustini scribentis adversus Faustum, *Lex æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Nequit ergo legi naturali subtrahi præceptum aliquod.

4. PROPOSITIO II. Neque Romanus Pontifex potest dispensare, ne observe-
tur lex naturalis. Propositio.

Probat. Privatum hominem non posse à naturali lege quemquam dispensare, aperta ratio commonstrat. Quisquis enim

legi subicitur, potestatem in ea dispensandi non habet, cum dispensatio ad Legislatorem spectet, non ad subditum. Sed quilibet privatus homo naturali legi subicitur, propterea quod quicumque sine lege scripta peccant, sine hac pereunt, ob transgressionem legis quam habent scriptam in corde, ut scribit Apostolus ad Rom. cap. 11. versu 12. Igitur nemo privatus aut se, aut alium ab observantia legis naturalis potest excipere. Probat. ergo de Romano Pontifice. Ac primo is quoque naturali legi subicitur. Deinde cum hujus auctor sit supremus naturæ Conditor, gerit adhuc Ecclesiæ Rector in his, quæ spectant ad legem naturæ, personam inferioris. At inferiorem non posse à lege quemquam eximere, indubitatum est, & habetur in Clementina cap. *Romani*, de Elect. Ulterius ubinam legimus collatam à Deo fuisse Romano Pontifici potestatem supra invariabilem naturæ legem? Insuper Pontifex dispensare non potest à lege Divina: nam, ut habetur in cap. *Sunt quidam*, si quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Similia habentur in cap. *Statuta*. Atqui lex naturæ non minus indissolubilis est, ac sit ea, quam Prophetarum, & Apostolorum scripta comprehendunt. Igitur ad dispensandum à lege naturæ non se extendit suprema Romanorum Pontificum auctoritas. Tandem, ut mox dicturus sum, nec Deus potest dispensare supra legem naturæ: multo minus Pontifex.

5. Oppones primo maximam Pontificis auctoritatem, ad quam spectat proculdubio potestas collata Petro, amplissima Domini largitione, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Adde commune apud Jurisprudentes pronunciatum: *Papa habet jura omnia in scrinio pectoris sui.* Ad hæc: ad jus naturæ pertinet, ut Episcopi & Pastores proprio gregi incumbant; & nihilominus dispensat Papa super Episcoporum residentiam. Idem de votis ac juramentis dicendum est, quæ Papa dissolvit, etiam si postulet lex naturæ, ut redantur promissa, maxime firmata jurejurando. Accedit dispensare aliquando Papam, ne teneat vinculum matrimonii, quod

Oppositio:
nes.

quod eſt naturali lege indiſſolubile. Deum neque verum eſt juſ naturale eſſe immutabile : nam de jure naturæ ſunt communio bonorum, libertas, & mandatum de re aliena non auferenda; in quibus diſpenſatum eſt, ut liquet ex cap. Quo jure. L. Manumiffiones. ff. de Juſt. & Jure. L. Libertas. ff. de Statu liberi, &c.

6.
Solutiones

Reſp. ad 1. Papam poſſe omnia ſolvere, dummodo rectiſſimo univerſorum ordini non adverſentur, ideoque ſervata, non immutata lege naturæ. Alioquin poſſent Romani Pontifices, ſi verbum illud *Quodcumque* pugnancia complecteretur, eximere etiam à diligendo Deo, ac proximo, & facultatem facere perpetrandi omne ſcelus. Habet autem in ſcrinio pectoris ſui jura omnia primo quoad interpretationem, deinde quoad amplitudinem poteſtatis, per quam & cæteros homines antecellit, & diſpenſare poteſt ubicunque habeat locum diſpenſatio. Addunt Juriconſulti cauſam alteram, quia poteſt æquitatem juris rigori præferre. Ad exempla in contrarium allata, reſponſio ſit, reſidentiam Episcoporum eſſe de jure naturæ, quando illorum præſentia & vigilantia ovibus neceſſaria eſt, quando nequit per adminiſtros ſuppleri, & quando ad propriam dioceſim accedendi datur illis poteſtas. Atque his poſitis nego poſſe Papam largiri facultatem Episcopo derelinquendi gregem ſibi commiſſum. Quod attinet ad vota, & juramenta, Papa in his non diſpenſat, ita ut ſtante voto & juramento eximat à reddendis promiſſis; quæ eſt, ut diximus, vera diſpenſatio : ſed diſpenſat *improprie*, vel declarando in quibusdam circumſtantiis vota & juramenta nequaquam tenere, nec promiſſionem ab iis qui voverunt, & jurarunt eſſe exigendam : vel ob ponderoſam, graviſſimamque cauſam ſupremâ, qua pollet auctoritate, condonando debitum ortum ex voto & juramento, tanquam miniſter & vicarius Dei creditoris : qua condonatione facta immutatur voti & juramenti materia, & locum habet ea diſpenſationis imago, quam ſupra explicavi comparatione mutui, quod debitor reddere non tenetur, quando à creditore in acceptum referatur, nec tamen diſpenſatio ulla eſt; quoniam ut ſcribit Arrianus in Epicteto, *non ſufficit, ut debeatur pecunia datam eſſe mutuam, ſed oportet ut & maneat adhuc indiſſoluta mutui obligatio*. Matrimonium vero, ſi ratum ſit, conſummatum, & ſtata præſcriptione contractum, non ſolvit Pontifex quoad vin-

culum, ſed tantum quoad thorum & cohabitationem. Eſt autem hoc pacto diſſolubile cum ob adulterium, tum ob lapſum alterius conjugis in hæreſim, necnon ſi ad turpia maritus provocare non deſiſtat uxorem. Si autem ſit ratum duntaxat, dantur caſus, in quibus matrimonium etiam quoad vinculum poſſit diſcindi, nec indiſſolubile eſt lege naturæ, ſi ob commune aliquod bonum Divina, & Eccleſiaſtica auctoritas duxerit eſſe ſolvendum. Verum de his alibi. Ad exempla poſtremo loco producta ad probandum legem naturæ eſſe mutabilem, communis eſt Theologorum reſponſio, diſviſionem bonorum, ſervitutem, aliaque hujusmodi non eſſe contra juſ naturale poſitivum, ſed negativum, id eſt, nullum eſſe præceptum iſta prohibens, etſi nec aliquod eſt, quod præcipiat. De qua reſponſione plura Franciſcus Suarez lib. 2. de legibus cap. 14. At ego reſpondeo, bonorum communionem, libertatem, manumiffionem, & id genus reliqua, non eſſe juris naturalis *ſimpliciter*, quatenus idem juſ reſpicit institutionem & rectum naturæ ordinem, ſed eſſe juris naturalis pro certo rerum ſtatu; quo immutato ipſa lex naturalis præſcribens ut omnia ſint ordinatiſſima, poſtulat ut dividantur bona, quæ priuſquam introducta eſſent dominia, debebant eſſe communia. Atque ita de cæteris ad certam rerum conditionem pertinentibus.

PROPOSITIO III. Ipſemet Deus in nullo præcepto naturalis legis proprie diſpenſare poteſt. 7. Propoſitio 3.

Sequitur ex præcedentibus : ſi enim lex naturalis per omnia legi æternæ conſentanea eſt; qui poteſt unam immutare, poteſt & alteram. At Deus nequit æternam legem, ſuam ſcilicet rationem ac providentiam pervertere. Ergo nec mutare per diſpenſationem legem naturæ. Deinde probatur communi hac argumentatione. Differunt præcepta legis naturalis à præceptis legis poſitivæ, quod illa ipſâ naturâ rerum conſtituuntur, hæc vero liberâ legiſlatoris voluntate poſita ſunt. At quæ ex ipſâ rerum natura prodeunt, neceſſaria ſunt, atque ex ſuppoſitione naturæ conditæ prorfus immutabilia, quemadmodum ea quæ pendunt ex aliorum arbitrio, ſunt contingentia, & obnoxia mutationi. Sunt ergo præcepta legis naturæ perenni immutabilitate fixa atque perpetua. Quæ argumentatio confirmatur primo, quoniam quidquid prohibet lex naturæ, eſt natura ſua & intrinſecè malum, & quidquid præcipit, eſt natura ſua & intrinſecè

sece bonum : quod sane ipsa naturalis legis notio manifesta declarat. At Deus non potest imperare quod suapte natura malum est, ut odium, mendacium, blasphemiam : neque potest prohibere quod intrinsece suaeque natura bonum est, ut iustitiam, pietatem, religionem. Si enim illa præcipere, hæc prohibere posset, posset etiam agere quæ cum summa æquitate ac sapientia, atque cum essentia creaturæ rationalis depugnant; atque ita poterit mentiri, poterit ad peccatum impellere, poterit in naturam ferarum vertere naturam humanam. Simile est quod sequitur. Præcepta legis naturalis alia sunt affirmativa quæ iusta opera imponunt, alia negativa quæ prohibent perversa & iniqua. Atqui Deus non potest dispensare in iis quæ recta sunt, alias discinderet legem æternam, quæ vult ut omnia sint ordinatissima, neque in iis, quæ sunt inhonesta & iniqua, alias permetteret ut peccaremus impune, & probaret quod turpe & vitiosum est. In nullo ergo naturæ præcepto potest Deus dispensare. Eo etiam pertinet insequens. Adversariorum complures fatentur Deum non posse dispensare circa mendacium, eoquod sit intrinsece malum. Cur autem mendacium intrinsece malum est, nisi quia æternæ legi adversatur? Quod enim incommutabili legi non repugnat, malum esse non potest; cum malum sit, quod ab ea lege desectit. Eapropter mendacium hac etiam ratione est intrinsece malum, quoniam contrarium est legi naturali, & sempiternæ legis in mente hominum transcriptioni. Quam naturalem legem & participationem æternæ si tollas, nihil adinvenies quod intrinsece malum sit, quia nihil rationi & æquitati adversabitur. Cur enim bruta rapiendo & dilaniando non peccant, nisi quia sunt destituta ratione? Ut ergo ablata lege naturali non foret aliqua in mentiendo malitia; ita posita lege naturali prohibente homicidium, adulterium, & furtum, necessum est ut hæc sint intrinsece mala, quoniam rectæ rationi opponuntur. Quamobrem sicut in mendacio, ita in homicidio, in adulterio, in furto, & in quolibet actu à naturali lege prohibito Deus dispensare lege perseverante ac materia immutata non potest.

AD EA, QUÆ OPPONUNTUR RE-
SPONSIO.

8. Obijciunt ex Reducuntur ad tria genera contrariæ
ss. Scriptura. argumentationes, quarum aliæ ex sacris

literis depromuntur, aliæ ex D. Bernardi libro De præcepto & dispensatione, reliqua sunt Scoti, Durandi, & Ochami Epicheremata. Ex Scripturis petuntur ista. Cum Deus tradatur unum masculinum & unam duntaxat feminam condidisse, prima connubia inter fratres sororesque necessum est interfuisse. Matrimonium autem inter fratrem ac sororem naturali lege inhibetur. Filii ergo filiius Adæ germanis fororibus Divina dispensatione sunt conjuncti. Deinde Polygamia, sive uxorum pluralitas legi naturæ contraria est: & in hoc tamen fuit cum Patriarchis Abrahamo, Jacobo, & aliis Divina auctoritate dispensatum. Insuper, cum nunc Abrahami meminerimus, nonne huic præcepit Dominus, ut filium unigenitum immolaret? quod naturali legi non tantum repugnat ob mortem innocentis omni jure prohibitam, verum etiam ob naturalem amoris paterni inclinationem, cui contraire perinde est ac legem naturæ disrumpere. Nec defunt exempla id genus plurima. Dispensavit enim Deus cum Israelitis, ut per dolum commodato peterent ab Ægyptiis vasa auri, & argenti, animo eadem subripiendi. Dispensavit cum iisdem filiis Israel, ut cum alienigenis scenerarentur, id est, exercerent usuram. Dispensavit pariter, ut matrimonium, cujus vinculum lege naturali indissolubile est, dato uxoris libello repudii dissolverent. Ad hæc permisit obstetricibus Ægyptiis, ut in gratiam Hebræorum callide mentirentur, ipsarumque mendacium ædificatione domorum splendide decoravit. Osæ etiam mandavit, ut sumeret sibi uxorem fornicationum, & ex ea filios fornicationum progeneraret. Demum etiam super observantiam Sabbati lege ipsa naturali præscriptam dispensatum est cum omnibus Christifidelibus. Atque hæc sunt rerum eventus, & sacrarum historiarum narrationibus comprobata.

9. Resp. nullam in allatis exemplis propriam deprehendi dispensationem, sed vel nullam prorsus, vel eam, quæ est cum immutatione materiæ. Et revera quod attinet ad matrimonium inter fratres sororesque germanas, Cajetanus existimat posse Papam in urgentissimo casu dispensare, nec lege naturali, sed Ecclesiastica cautum esse, ne sorores nubant fratribus. Verum quidquid sit de hac opinione Cajetani; dicimus istiusmodi matrimonium repugnare legi naturæ, non simpliciter & absolute, sed pro certo rerum statu, & multiplicato genere humano: nam supposita unius viri

9.
Solutio.

virum cum ſua conjuge conditione, ut creſcerent, & poſteriorum propagatione multiplicarentur, neceſſaria fuerunt aliquorum hominum ſponſalia cum feminis uno utero progenitis, ſibiſque artiſſimo conſanguinitatis vinculo conjunctis. Idem dicendum de Polygamia; conſtituto enim certo rerum ſtatu, id eſt, ſtatu foedere, & facta promiſſione multiplicandi populum fidelem, non ſolum promulgatione legis, verum etiam propagatione feminis, quomodo multiplicari debebat populus Judæorum, jam erant exiguæ Patriarcharum numero plures uxores jungendæ. Sunt tamen qui reſpondent polygamiam ſolo jure Eccleſiaſtico veritam eſſe: nec deſunt, qui reponant non eſſe diſpenſationem propriam, ſed mutationem rerum, quando vir uni mulieri copulatus à ſupremo Domino accipit poteſtatem diſponendi de ſuo corpore per novum contractum, non diſſoluto priori. Cum Abrahamo diſpenſatum non eſt, ut impune occideret, ſed præclarum ſumptum eſt de ipſius obedientia experimentum. Enimvero, cum Deus ſit vitæ hominum ſupremus Dominus, eo jubente, qui occidit non legem frangit, ſed Domino obtemperat. Nam prohibemur tantummodo occidere privata auctoritate. Quare Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 73. inquit, *Quadam facta lex æterna, quæ ordinem naturalem conſervari jubet, perturbari vetat, medio quodam loco poſuit hominibus, ut in eis uſurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum intereſt in ordine naturali, quid à quo agatur, & ſub quo quiſquam agat. Abraham ſi filium ſponte immolaret, quid niſi horribilis & inſanus? Deo autem jubente, quid niſi fidelis, & devotus apparuit? At fecit, inquit Abraham contra inclinationem naturalem. Ita eſt. Sed naturalis inclinatio conjuncta eſt cum ratione demonſtrante, quod magis Deo obtemperandum ſit, quam humanis affectibus. Alioquin martyres dum pro Religione occubuerunt, quoniam non ſine naturæ ingenito horrore cum tetra morte luctati ſunt, naturalem legem fregiſſent. Addunt aliqui temperatam paterni animi amaritudinem firmiſſima fide, quæ crederet poſt immolationem filium divinitus ſurrecturum. Cujus fidei argumentum antiqua & repetita promiſſio, *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli*, & quæ ipſe Abraham dixerat pedifequis, *Expectate hic: Ego & puer, poſteaquam adoraverimus, revertemur ad vos.**

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Franciſcus Hennus inſignis Scotiſta nequit veritati acquieſcere. Potuit Abraham (inquit) filium immolare, quia id fecit auctoritate Divina. Sed hæc eſt vera & propria diſpenſatio. Ergo &c. Probat minorem. Si quis ex ſuperioris licentia non jejunet, vel in die feſto operetur, dicitur diſpenſari, quoniam facit auctoritate publica quod non poterat privata. Ergo pariter Abraham, qui filium immolavit auctoritate publica, non privata, à lege naturali dicitur diſpenſatus. Reſp. falli celebrem Scriptorem imagine diſpenſationis. Nam in allatis exemplis non variatur materia præcepti, quæ immutatur præſenti in caſu, cum occidere jubente Domino & judice nullatenus prohibeatur præcepto non occidendi. Unde Magiſter Guerrerus Tom. 1. p. 228. recte animadvertit Scotiſtas nobiſcum pugnare logomachia, ut vidit etiam Maſtrius illorum anteſignanus.

Sed revertendo ad ſacrarum hiſtoriarum exempla; furtum eſt rei alienæ fraudulenta compilatio, quæ ſit Domino invito. Non ergo Hebræi vaſa aurea & argentea Ægyptiis ſubripuerunt, ſi facta à ſupremo Domino poteſtate ea expilarunt. Hac in re debemus fraudulentiam ac circumventionem à non reſtitutione diſtinguere. Nam Deus filiis Iſrael non præcepit ut deciperent Ægyptios, ſed tantum, ut poſtularer vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea, Exodi xi. 2. quod inter familias in conviviorum apparatu, ſolemniſque nuptiarum probat commendatque conſuetudo. Quæ in re, ſi fallacia interfuit Ægyptii deceptione digni erant, & populus Iſrael pro illa ætate generis humani erat adhuc in tali morum gradu conſtitutus, ut non indigne hoſtem deciperet, Deo pro illorum cupiditate permittente, ut Auguſtinus ſcribit Quæſtionum 83. tertia & quinquageſima. Atque hæc ita accipienda ſunt, ut Deus neque per ſe, neque per alium mentiatur, quomodo diximus in 2. libro primæ partis, ſed permittat tantum capi pernicioſa fraude ſceleſtos; nam cum mentiri, & circumvenire aliquem ſit natura ſua indecorum ac turpe, nequit, ut Adverſarii fatentur, Divina diſpenſatione committi. Cur autem noluerit Deus, ut petita vaſa redderentur, cauſam redditeo loco Auguſtinus, quoniam mercedem diuturni laboris atque operis non injuſtam Deus eſſe voluit. Addit lib. 22. contra Fauſtum cap. 71. Ægyptios fuiſſe ſacrilegos & iniquos, nam & auro illo, hoc eſt Dei creaturâ

malæ

male utentes ad Creatoris injuriam suis idolis serviebant: atque concludit, sive ista fuerit causa, sive qualibet alia, nec frustra, nec inique dictum esse, nec licuisse Moysen aliter, quam Deus dixerat facere, ut penes Dominum esset consilium jubendi, penes famulum autem obsequium peragendi.

12. Quod proximo loco sequitur, nullius est momenti, sive dixeris Deum permisisse quidem Israelitis temporalium bonorum cupidissimis, ut alienigenis daret fœnori, ne contribules suos usurarum exactionibus exhaurirent; nullatenus iniquos anatocismos probasse: sive dixeris usuram illam fuisse ob damna Israelitis illata prorsus licitam, docente Ambrosio in lib. de Tobia, *Sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici, ubi enim jus est belli, jus est usurae*: sive denique dixeris autionem fœnoris ad filios Israel spectasse titulo donationis sibi factæ à Domino justissimo bonorum omnium distributore.

13. Dare autem uxoris libellum repudii, non est matrimonium solvere quoad vinculum, sed quoad thorum, cum possint repudiata uxores absque novo contractu ad maritales amplexus redire, & si aliis nubant se mœchiæ crimine poluant. Moyses vero permisit libellum repudii etiam ob alia præter fornicationem crimina, ob duritiam Israelitarum, ut feminae se facilius continerent, & viri quas odio haberent, non interficerent. Quæ fuit permissio, providusque concessus, non alicujus mandati præscriptio. Vide Matth. xix. v. 8.

13. In obstetricibus Ægyptiis debemus distinguere à mendacio pietatem. Nam ut S. Pater docet quæst. 1. super Exodum, *Aliud faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiundo. In illis vivificandis opus misericordiæ fuit: mendacio vero illo pro se utebantur ne noceret illis Pharaon, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere.* Itaque illarum pietati Deus rependit mercedem, non autem mendacio. In quo cum Deus, consentientibus adversariis, dispensare non valeat, nullum hinc possunt depromere pro sua assertioe argumentum.

14. Ad Oseam quod attinet, respondet S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. *non fuisse mœchatum, quia accessit ad eam quæ sua non erat, secundum mandatum Divinum.* Sed arbitramur, idem esse, *vade, sume tibi uxorem fornicationum, ac, deduc*

in domum tuam mulierem meretricem; atque idem esse, fac tibi filios fornicationum, atque, fac per adoptionem filios tuos, spurios illos & notbos, quos mulier illa per illicitos concubitus genuit. Ita Augustinus lib. 22. adv. Faustum cap. 80. scribens: *Quid enim adversum clementia veritatis, quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Leonardus Vanroy de lege nat. cap. 3. ad 6. & Aurelius Piette de legib. q. 1. inquirunt, filios ab Oseæ procreandos appellari filios fornicationum quia erant ex matre, quæ antea fuerat fornicata. Horum responsioni illustrandæ addo exemplum mulieris, quæ appellatur Os in Genesi ubi legitur, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & colubri, qui dicitur virga in Exodo, ubi habetur, Devoravit virga Aaron virgas eorum, quia scilicet & mulier fuerat os viri, & coluber fuerat virga.* Sed revera de filiis spuris & adoptandis sermo est, ut liquet ex versione Græca, Syriaca & Arabica, & maxime ex Hebræo codice, qui habet, *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum*: atque ita legit Hieronymus, & alii divinarum Scripturarum peritissimi. Accedit figuræ sacramentum expressum: significabat enim conjugium Prophetæ cum muliere fornicaria, & deductio filiorum procreatorum ex concubitu meretricis, conversionem ad Christum Ecclesiæ Gentilium, & idololatrarum in incredulitate natorum. Ineptè autem cum cæteris Novatoribus Salomon Glassius in Tract. de styli sancti verecundia sect. viii. *Relinquit Bel-lérminus (inquit) hic versionem suam vulgatam, eamque ad puram, & castum fontem exigit.* Ipse enim Glassius lib. v. de Metonymia pag. 1443. demonstrat verbum *facere* idem esse frequentissime ac *lucrari & acquirere*, ut Genes. xii. 5. xxx. 3. & Matth. xxv. 16. juxta hebræam, græcamque literam. Imo latinissime *facere filium* potius est adoptare, quam gignere, ut in Thesouro Ciceroniano Nizolius verbo *adopto*. Prætermitto responsionem illorum, qui post Maimonidem contendunt hæc Oseæ contigisse in visione, & esse tropice accipiendam, eoquod turpe sit uxorem ducere meretricem. Augustinus enim figmentum istud explodit, atque ut figuris aliis quamplurimis, potuit etiam hoc matrimonio exprimi Judæorum reprobatio. Priorem ergo responsionem, quam tradidimus, adhibeto: nam filii per Oseam generati excidium Synagogæ, ac pœnas Tribuum Israel representabant, ad-

adoptati autem ex alienis Eccleſiam ex peccatoribus congregandam.

15.
Inſtancia
cum ſolu-
tione.

At, inquit, D. Thomas, & S. Bernardus mox laudandus non alia ratione Oſeam à peccato excuſant, niſiquia acceſſit ad mulierem impudicam, vulgatumque ſcortum, Deo mandante. Ad hæc reſpondent Theologi, Oſeam Dei juſſu matrimonium iniſſe absque præmiſſo contractu, Domino transferente dominium corporum; qua in re peccaſſet, niſi præceſſiſſet Divinum præceptum; quoniam accedere ad mulierem, absque præcedente vinculo contractus, fuiſſet aliàs turpiſſimum. Addunt alii vetitum fuiſſe lege poſitiva ne Sacerdotes aut Prophetæ uxorem ducerent ſcortum, vel mulierem repudiatam à marito: atque in hoc fuiſſe cum Oſea diſpenſatum. Verum utraque reſponſio valde eſt ambigua. Prima quidem, quia gratis aſſeritur Oſeam prætermiſſis matrimonii conditionibus neceſſariis duxiſſe mulierem: cui etiam vel Divinum præceptum vir pateſceat, aut ignaram, nec opinantem ſibi deſpondit: hoc verum non arbitror; nam inceſtuoſum concubitus patraſſet mulier fraudulentâ mariti: quod ſi ille fornicariæ Dei juſſa manifeſtavit, proſecto etiam ſcorti conſenſum extorſit, nec deſuit conventio. Ac reſponſio altera valet utique de Levitis & filiis Aaron, ut habetur Levitici cap. xxi. v. 7. ſed non conſtat Oſeam fuiſſe ex genere Sacerdotum. Itaque reſpondemus probabilem eſſe allatam ex D. Thoma & Bernardo doctrinam, ſed præferendam ſuperius traditam ex Auguſtino, quam Theologi (inquit Habert. Tom. 3. pag. 364.) communiter amplectuntur.

16.
Explicatio
præcepti de
ſanctifican-
do ſabbatho.

Præceptum denique de ſanctificando ſabbatho partim naturale eſt, partim vero ceremoniale. Eſt naturale quatenus præſcribit cultum Deo exhibendum, & aliquod tempus, in quo rebus Divinis vacandum eſt, & æternæ ſaluti proſpiciendum. Eſt autem ceremoniale in quantum præcipit, ut hæc fiant certo hebdomadæ die, atque ſtatutis religionis pietatiſque exercitiis. Etenim Deum colendum eſſe, & elaborandum ut memoria non excidant ipſius benefacta, ipſa natura proclamât: quod iſtud fiat aut uno genere ſacrificiorum, aut una integra ſtataque die, poſtulant temporum rerumque adjuncta. Igitur quemadmodum diſpenſatum non eſt in ſacrificiis ad primum Decalogi præceptum pertinentibus, ex quo multiplicibus cruentisque ſucceſſerit unicum & incruentum: ita

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

nec diſpenſatum eſt circa ſanctificationem feſtorum, ex quo pro die Sabbathi Dominica fuerit ſubſtituta. Et olim quidem Sabbathum colebatur ob ſingulare beneficium creationis, & requiem Domini ab omni opere, quod patraſſet. Poſtea illuſtrata Dominica die reſurrectione Salvatoris, adventu Spiritus Sancti, aliisque beneficiis à ſexta Synodo connumeratis, placuit Sabbatho præferre Dominicam, in qua etiam univerſarum rerum conditio habuit exordium. Atque ita inviolata permanet lex naturæ, etiam ceremoniis & ritibus abrogatis.

Ex divo Bernardo poteſt conſequens promi argumentum. Mellifluus doctor in libro de Diſpenſatione cap. 2. neceſſarium diſpenſcit in ſtabile, inviolabile, & incommutabile. *Stabile* appellat quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud immutare fas ſit, ſed ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, id eſt, præpoſitis: atque hoc tribuit Regulis Monachorum, & Eccleſiaſticis inſtitutis. Neceſſarium autem *incommutabile* appellat 3. capite, quod Divina æternaque ratione ita firmatum eſt, ut nulla ex cauſa poſſit vel ab ipſo Deo aliquatenus commutari: ſub quo genere ſtatuit ſpiritualemente traditionem ſermonis Domini in monte, & quidquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, cæterisque virtutibus in novo ac veteri Teſtamento traditur obſervandum. Itaque *inviolabile*, quod inter *ſtabile*, & *incommutabile* mediat, eſt illud, quod niſi à Deo mutari omnino non poteſt. In hoc autem ſecundo genere comprehendit legis ſcita, ut, non occides, non inceſtaberis, non furtum facies: quæ (inquit) etſi nullam prorsus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere aut licuit, aut licebit: Dominus autem horum quod voluit, & quando voluit ſolvit, ſive cum ab Hebræis Aegyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicariæ miſceri præcepit: Quibus manifeſtum eſt D. Bernardum admittere in præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſationem.

Reſp. hunc nodum ſolvi, injiciendo (ut phraſi utamur Bernardi) teneros unguis; nam diſpenſationem circa furtum, homicidium, fornicationem, & reliqua legis ſcita appellat eam, quæ auctoritate imperantis materia naturalis legis ſubvertitur. Quod primo demonſtrat exemplum à Bernardo productum de Aegyptiis & fornicariæ muliere; quod factum excuſari docet auctoritate Domini. At quod ſubripitur ſupremi Do-

C 2

mini

17.
Obiicitur 3.
ex D. Bern-
ardo.

18.
Solutio.

mini auctoritate, furtum non est: sicut nec fornicatio accedere ad quamcunque mulierem ex Divino mandato, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 5. ad 2. Nam furtum alienæ rei contrectatio est, & mœchia mulieris, cujus non dominaris, compressio. Ergo transerente dominium Legislatore supremo, jam contrectas quod tuum est: & propterea excusaris à peccato, ut Bernardus loquitur, *auctoritate imperantis*. Atque hoc Doctor ipse probe declarat. Nam quidquid de dilectione, humilitate mansuetudine, cæterisque virtutibus tam in novo, quam in veteri testamento observandum traditur, spectat ad necessarium incommutabile, quod nulla ex causa potest vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. At si occidas hominem, cujus vitæ potestatem non habeas, si rem subripias alienam, si ad scortum accedas; dilectionis, mansuetudinis, justitiæ, honestatisque virtutem prosterne. Ut ergo hæc facias, necessarium *immutabile*, auctore Bernardo, omnino non patitur. Quamobrem inviolabilia, non immutabilia dicuntur, in quantum Divina auctoritate fieri potest, ut nulli virtuti repugnent; quod fieri non potest, nisi simul fiat juris tui, quod erat alieni. Si autem hoc fieri contingat, immutata res est, circa quam versatur jus naturale.

19.
Objicitur 4.
à Scholasticis.

Ratiocinationes Scholasticorum nobis adversantium sunt istiusmodi. Primo: si præcepta secundæ tabulæ forent indispensabilia, intellectus Divinus, ut prævenit voluntatem, judicaret necessario hos actus esse amandos, illos odio habendos, & sic necessitatem imponeret Divinæ voluntati. Atqui circa mores & actus humanos Divina voluntas nunquam necessitatur. Ergo præcepta secundæ tabulæ sunt dispensabilia. Deinde: Beatitudo hominis non pendet ab iis, quæ homines agunt erga creaturas. Ergo nullus actus humanus erga creaturas necessarius est ad consequendam beatitudinem, ideoque potest Deus in omni actu, qui ad creaturam refertur, dispensare. Atque hæc duo sunt argumenta Scoti apud Hennum. Tertio Major opinatur posse Deum dispensare in omni præcepto affirmativo: primo quia potest Deus non concurrere cum homine ad actum præceptum; 2. quia potest hominem infirmitate, aut causa aliqua detinere, ne valeat præceptis obtemperare. Quarto Ochamus contendit posse Deum præcipere odium sui, cum hoc nullam implicet contradictionem. Postremo: potest (inquit Duran-

us) ab omni actu, qui præcipitur in mandatis secundæ tabulæ, auferri à Deo ratio debiti; quoniam hoc debitum fundatur in dependentia unius creaturæ ab altera. At hanc dependentiam Deus auferre potest, cum potuerit E. G. hominem absque parentibus procreare. Igitur potest etiam dispensare filium à debito honorandi parentes.

20.
A primo autem Scoti argumento facilis est atque expedita defensio. Et Solutiones.
principio quidem retorquetur; nam etiam ea, quæ præceptis primæ tabulæ præscribuntur, sunt actus humani, erga quos Divina voluntas libertate fertur; nec tamen per Scotum admittunt dispensationem. Deinde dicimus intellectum Divinum necessarium firmissimumque habere de qualibet veritate iudicium, nec tamen sequitur semper voluntatem Divinam esse necessariam, sed tantum necessario approbare quæ bona sunt, & odio habere quæ mala, atque in eo Divinam stare libertatem, quod ex bonis eligere potest quod lubet, ex malis aliquod iusta de causa permittere. Atque hanc necessitatem approbandi quod bonum est, & repudiandi quod est malum, habet Divina voluntas etiam circa præcepta secundæ tabulæ: nequit enim justus, incontaminatus, atque benificientissimus non odisse iniqua, inhonestæ, & malefacta. Præterea, ut ex scopulosis cotibus subtiliter differentium enavigemus, nego minorem; quippe promulgata & instituta lege naturæ, necessario vult Deus illam servari, necessitate, quam ex *suppositione* appellant dialectici. Secundo argumento sic responsum esto. Beatitudo sita est in actu, quo fruimur inamissibiliter summo bono: sed hoc frui non possumus, nisi bonis mutabilibus recte utamur. At Deus nequit velle, ut lex naturæ immutetur, & bonis creatis fruamur, cum non sint animo nostro perfectiora, & finis ultimus rationabilium. Ad illud, quod objectum est tertio loco, dicimus, si Deus non concurrat, aut hominem operaturum præpediat, nullam legem ad opus obstringere, & sufficere in subdito animi præparationem: nam *bona voluntas*, ut est in proloquio, *reputatur pro facto*. Quod objicitur ex Ochamo, eadem, qua profertur, facilitate repellitur; siquidem non possumus odio habere nisi malum, nec nisi malus potest velle, ut in molestiam & offensionem veniat summum bonum. Argumentum Durandi positum postremo loco facilius refellitur; absolute enim potest Deus homines sine generantibus concedere, &

& auferre ordinem dependentiæ: sed posita generatione parentum, nequit efficere, ut filii non sint, nec debeant genitoribus honorem in iis, quæ cum religione, & Dei cultu non pugnant.

21.
Quid Epitcheja.

Ex dictis constat quid dicendum sit de Epitcheja. Si enim hæc accipitur

pro sola interpretatione, & declaratione, haud dubium quod locum habet in lege naturæ. Si autem accipitur pro legis abrogatione, & aliquorum exceptione à communi legis præscripto; certissimum est non dari in lege naturæ, absque mutatione rerum, τὴν ἐπιτίθειαν.

CAPUT VI.

Habeatne lex vetus auctorem Deum?

SUMMARIUM.

1. De Auctore legis veteris Propositio 1.
2. Probatur 1. & 2. Pars propositionis.
3. 4. & 5. Objectionibus responderetur.

6. Propositio 2. Probatur.
7. 8. Usque ad 28. Objectiones diversimodæ.

1.
De auctore legis veteris.

PROXIME sequitur, ut petrademus de lege veteri, ac primum de illius Auctore. Quidam enim partim à Deo, partim à Moyse, partim à Senioribus institutam autumant: atque huic quodammodo tolerabili nefaria accessit opinio Manichæorum & Marcionitarum, latam fuisse à diabolo, vel malorum omnium principio. Controvertitur etiam, an à Deo, vel ab Angelis lata fuerit, quam postremam dubitationem expedivimus differentes de Verbo æterno, ejusque facta antiquis Patriarchis apparitione cap. 8. lib. VII. Itaque in præsentia priores duas suscipimus ventilandas.

PROPOSITIO I. Verus testamentum est à Deo, neque illi Moyses, aut Seniores aliquid pro libitu addiderunt: Moyses vero fuit legis à Deo institutæ promulgator.

2. Demonstratur prima pars auctoritate Scripturarum, Traditione, atque argumentatione Theologica. Exodi xx. legimus: *Locutus est Dominus cunctos sermones hos.* Malach. iv. 4. *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & judicia.* Deum præterea in Moyse, & Prophetis fuisse locutum Apostolus Paulus affirmat initio Epistolæ ad Hebræos: necnon Petrus in Act. Apost. cap. iiii. v. 18. Zacharias cap. i. Lucæ v. 70. Idem sacri libri ubique testantur, ita, ut merito Christus Dominus Phariseos increpans Matt. xv. 6. dixerit: *Vos irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Quod vero attinet ad Patres, plura de hoc argumento scripsit S. Pater Augustinus in libris contra Faustum, Tertullianus adversus Marcionem, Hieronymus in Epistolam ad Titum: nec de communi aliorum sensu aliqua occurrit in hac re dubita-

tio. Quare Toletanum Concilium in Fidei Confessione, *Si quis dixerit (inquit) aut crediderit alterum esse Deum præscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*: ac similia sess. IV. Tridentini fuere decreta. Atque rationem optimam profert Doctor Angelicus I. 2. q. 98. art. 2. quoniam lex vetus homines ordinabat ad Christum cum perhibendo de ipso testimonium, tum removendo à cultu idolorum. Quod sequenti capite IX. nonnullis animadversionibus illustrabo. At diabolus nunquam legem instituisse, *ut homines adducerentur ad Christum, per quem erat eiiciendus*, inquit ibidem S. Thomas. Non fuit ergo Diabolus legis veteris institutor, sed, ut Scriptura, Traditio, & vis ratiocinandi demonstrat, habet illa verum Deum auctorem.

Altera pars, videlicet quod Moyses fuerit duntaxat legis promulgator, ostenditur primo ex verbis ipsius Moysis Deut. vi. *Hæc sunt præcepta, & ceremonie, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Accedit testimonium Apostoli ad Galat. iiii. 19. *Scribentis legem ordinatam per Angelos in manu mediatoris.* Quo in loco nonnulli Mediatorem intelligunt Christum Dominum: sed cum ibidem opponatur lex vetus Evangelio, puto Mediatorem appellari Moysen, maxime quod Paulus iis verbis *in manu mediatoris*, ἐν χειρὶ μεσίτη aperte loquitur coherentem ad verba ipsius Moysis Deut. v. 5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos, καὶ ἐγὼ εἰς ἕνα ἦν ἀνὰ μέσον κυρίου, & ὑμῶν.* Et quidem si aliquid pro libitu Moyses præcepisset, foret præsertim mandatum repudiū, de quo Matth. xix. v. 8. At lex de matrimonio dissolvendo nulla est, ut superiori capite explicavi: neque hanc legem pote-

Probatur 2. pars.